



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 361. Usque Ad Annum 395

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1758**

**VD18 90117786**

§. 37. S. Paulæ Profectio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66032)

## §. XXXVII.

*S. Paulæ Profectio.*Sæculum IV.  
A. C. 385.

Sanctum Hieronymum pressis vestigiis *Hier.ep.27.*  
 secuta est S. Paula. Ea Roma excessit, *ad Eust.c.2.3*  
 & materno affectu discusso, quippe Rufinam filiam nubilem, & Toxotium filium infantem relinquebat, navigio se imposuit. Filiam Eustochium secum abduxit, & paucissimos domesticos; primum in Insula Pontia, in Italiæ littoribus aliquantum substitit, ut piæ curiositati satisfaceret, & S. Domitillæ cellulas videret, in quibus exilii sui tempus sub Imperatore Domitiano ante annos trecentos peregerat. Inde S. Paula in Cyprum *Sup. L. II.*  
 appulsa, S. Epiphaniï pedibus advoluta *§. 52.*  
 est, qui, ut quiescendi tempus daret, diebus decem eam retinuit. Ipsa hos dies visitandis illius Regionis Monasteriis impendit, iisque solitariis eleemosinas largita est; nam sancti Episcopi Charitas ex omnibus mundi partibus vitæ solitariæ cupidos illuc attraxerat. Ex hac Insula Antiochiam delata est, & aliquantum, urgente Paulino Episcopo morata. Ex hac urbe media hyeme iter ingressa est, misero asello vecta, quæ antea ab Evnu-  
 chis, servis suis, portari adsueverat.

Paula, peragrata Syria, Sidonem venit, nec procul ab hac urbe, nempe Sareptæ, in modicam Prophetæ Eliæ tur-

Bb b 3 rim



Sæculum IV. rim ingressa est. Cæsareæ domum Cen-  
 turionis Cornelii vidit, in Ecclesiam adi-  
 ficatam. Vidit quoque S. Philippi do-  
 mum, & penetralia quatuor Virginum,  
 Prophetissarum, filiarum ejus. Prope  
 Jerosolymam vidit sepulchrum Helenæ,  
 Reginae Adiabenes. Palæstinæ Prætor,  
 cui nobilissima Paulæ familia non erat i-  
 gnota, ministrorum suorum præcipuos  
 venienti obviam misit, qui Palatium, quo  
 habitaret, adornarent, cui ipsa pauperem  
 cellulam præhabuit. Omnia loca sacra  
 obivit, tanta devotione accensa, ut, si a-  
 licubi preces perageret, inde nulla ratio-  
 ne, quam alia loca pia, sibi necdum visa,  
 adeundi desiderio avelli posset. Ante  
 Crucem prostrata, Salvatorem non mi-  
 nori fervore, ac si eum oculis corporis  
 affixum conspexisset, adorabat. Sepul-  
 chrum ingrediens, lapidem, quem Ange-  
 lus revolverat, osculabatur; illum au-  
 tem locum, quem incumbens Jesu Chri-  
 sti mortui corpus contigerat, osculis pre-  
 mēre non cessabat. Cum montem Sion  
 videret piissima Paula, monstrata est ei  
 columna, adhucdum Jesu Christi sangui-  
 ne aspersa, & illo tempore Ecclesie por-  
 ticum sustentans, qua in flagellatione al-  
 ligatus fuit. Ostensum est etiam eidem  
 cœnaculum, quo Spiritus Sanctus die  
 Pentecostes in Apostolos descendit. Je-  
 rosolyma, distributis largiter in pauperes  
 elec.

*Hier. ep. 27.*  
*c. 4.*



eleemosinis, Bethlehemum concedens, Sæculum IV.  
 in via sepulchrum Rachelis inspexit, ca- A. C. 385.  
 vernam Nativitatis ingressa, conspiceret  
 sibi videbatur, infantulum Jesum a Ma-  
 gis, & pastoribus adorari. Inde Turrim  
 Ader, seu gregis, visit, & omnia loca Pa-  
 læstinae, quæ fama commendabat, obiit. c. 6.  
 Inter alia vidit Bethphage sepulchrum  
 Lazari, atque Marthæ, & Mariæ domum.  
 In monte Ephraim sepulchra Josue, &  
 Eleazari Pontificis venerata est. In Si-  
 char Ecclesiam intravit, puteo Jacob su-  
 perædificatam, ubi Dominus mulieri Sa-  
 maritanæ locutus est. Post hæc duode-  
 cim Patriarcharum sepulchra adiit, & Se-  
 baste, seu Samariæ sepulchra Elisæi, &  
 Abdiæ vidit, præcipue vero Sepulchrum  
 S. Joannis Baptistæ reverita est, & per-  
 territa mirabili potestate Dæmonis in E-  
 nergumenos, qui illuc spe recuperandæ  
 salutis adducebantur. Morasthi Eccle-  
 siam vidit, ubi aliquando Prophetæ Mi-  
 cheæ sepulchrum fuerat. Hæc de pe-  
 regrinatione S. Paulæ S. Hieronymus scri-  
 bit, atque ita sacræ antiquitatis vestigia,  
 quæ suo tempore in Palæstina monstra-  
 bantur, nos edocet.

Inde S. Paula comitante filia sua Eu-  
 stochium, & pluribus aliis Virginibus, in  
 Ægyptum digressa, primum Alexan-  
 driam, deinde in desertum Nitriæ venit,  
 ubi eidem Isidorus Episcopus, & Confes-

c. 7.

B b b 4 for



A.C. 385. **S**æculum IV. for cum innumerabilibus turmis Monachorum, quorum aliqui Presbyteri erant, aut Diaconi, obviam processit. Celebratissimos invisit Anachoretas, cellulas intrabat, eorum pedibus prosternebatur, nec quidquam aliud ab hoc deserto eam cum suis puellis abstrahere potuit, nisi in sanctis Redemptionis humanæ locis habitandi vehemens amor. Igitur promp- te in Palæstinam reversa, Bethlehemi sedem vixit, ubi in angusta domo tribus annis morata est, donec cellulas, Monasteria, & excipiendis peregrinis hospitia prope viam ædificasset. Hic sub Regimine S. Hieronymi, qui & ipse ibi dies suos clausit, reliquum vitæ tempus trans- egit, sacrarum Scripturarum studio, & pietatis operibus in peregrinos intenta.

## §. XXXVIII.

*Theodosius Idololatriam persequitur.*

*Zosm. l. 4. p. 762. Theod. V. hist. c. 1. Sup. l. XVI. §. 29.* **T**heodosius in Oriente Idololatriæ extirpandæ omnibus viribus incumberebat. Constantinus Magnus prohibuit quidem, ne Dæmonibus sacrificaretur, sed Tempia non diruit, contentus, paganos ab ingressu arcere. Patris exemplum secuti sunt filii. Julianus Idolorum cultum reducere conatus est, quem Jovianus iterum ejecit. Valens solis Catholicis bellum movit, omnes alios, quæ- eunque Religio placuisset, sequi passus, ita